



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Maximilianus Ep. M. 12. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

12. Octob. VITÆ SANCTORUM. 641  
phum adornantes ob futuram altero die  
inter cives cadem, medius preces suas  
interposuit, & civibus pacem, orco pro  
triumpho luctum peperit. Fuit cum ad  
hortos Elysios avolans ea oculorum spe-  
ctacula habuit auriumque illecebras, ut  
irasceret illis, qui eum avocarunt. Ne  
igitur quisquam molestiam revocando  
faceret, morte illuc non rediturus abiit.

*Ex Surio.*

*Quisquis es; qui divini luminis illustra-  
ris splendore, sentisque ad contemptum  
mundi provehi, à Domino prastitum noli  
tibi spernere donum, noli obsurdescere ape-  
rire pulsanti. Surge ocyus, & te solenti eri-  
gere manum porrige. S. Laur. Iust. de  
Cont. mund. cap. 19.*

S. MAXIMILIANUS EP. M.

12. Octobris.

**M**AXIMILIANUM, quo cive Pan-  
nonia, Austria patrono gloriatur,  
parentes nobiles Celeiæ genuerunt, la-  
ctarunt Gratia, Musæ eduxerunt. Talis,  
inquam, MAXIMILIANUS dignus celo  
visus est, quem in suas partes pertrahe-  
ret; & verò facile ille obsecundans me-  
liora suadenti, hereditate suâ (quæ opu-  
lenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem  
se ratus, si centuplo amplius liceret spe-  
rare. Jam honoris etiam umbram cum  
fugeret, insecuta tamen hæc virtutem,

S f

Lau-

642 VITÆ SANCTORUM. 13. Octob.  
Laureaci mitrâ sibi devinxit, & in solium  
renuentem extulit. Hoc deinde cum fu-  
riâ Decianæ deturbassent. Romam abiit;  
mox tamen Xysto II. Pont. Max. aucto-  
re rediit, & viginti ipsos annos munere  
suo cum summâ laude est functus. Sub  
hæc in mentem venit, patriis etiam terris  
operam suam locare. Et fortè Evilasius  
illic Prætor Christianam pietatem op-  
pugnatum ibat. Tanto amplius festinan-  
dum sibi ratus illicò advolavit, & suppe-  
rias laborantibus in tempore tulit. Sed  
dum in primâ fronte acrius pugnat,  
inter primos gladio cadit. Post hanc ta-  
men tam nobilem Hostiam propitia vi-  
ctoria semper postea cum Christianis  
stetit. Diceres suum etiam Pannoniæ  
Decium obtigisse. *Ex Bruschio.*

*Quid prodest quemlibet hodie auro, gem-  
mis & purpurâ contegi, si cras contingat  
eum nudum & reum ad inferni supplicia  
pertrahi? Quid juvat, si quis hodie ter-  
ram faciat sub pedibus suis tremere, &  
cras mendicus & pauper de hoc mundo com-  
pellatur exire? S. P. Dam l. 7. ep. 15.*

S. COLMANNUS MART. 13. Octob.

**C**OLMANNUM Regii sanguinis ju-  
venem & juventæ avo suo facile  
principem genuit & educavit Scoria,  
hospitem Bojaria vidit & Austria. Ha-  
buit tamen hæc hostiliter potius quam hos-